



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

§. 2. De Casibus reservatis Papalibus, & Episcopalibus. Item & de effectu
Censuræ, Excommunicationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

non sit, ad alium mittere debet dispensandum, Quid autem si unus Confessarius iudicet litteras esse sub-vel obrepticias seu per malè narrata impetratas, licebitne impetranti accedere alium Confessarium, ejusque iudicium explorare? Ratio negandi cum Navar. *Conf. 8. de offic. deleg.* videtur, quòd delegatio dispensationis censeatur facta uni tantùm & primo Confessario, eam propterea ad alios extendere sit in solius delegantis potestate. Nihilominus affirmativa satis tuta & probabilis est, eo quòd hæc commissio detur in foro conscientie, ideoque sequatur ejusdem fori naturam, ut poenitens non teneatur acquiescere unius Confessarii sententie, sed & ipse Confessarius suam sententiam mutare possit, *Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 27. n. 40. Guttier. de Matr. c. 125. n. 18. Barb. de Parocho. p. 2. cap. 19. n. 45.*

§. II.

De Casibus Reservatis.

SUMMARIA.

1. Casuum reservatio pertinet ad disciplinam Ecclesiasticam.
2. Quid faciendum cum habente casum reservatum.
3. In articulo mortis quisvis Sacerdos absolvere potest.
4. Absolutus in mortis periculo an evadens teneatur se presentare superiori.
5. Superior tenetur aliquando concedere licentiam inferiori, absolvendi à reservatis.

G. An

- 6. An pœnitens possit mitti ad privilegiatum, & ibi de jurisdictione prorogata, quatenus etiam in foro interno procedat.
- 7. Examinantur 3. casus circa pœnitentem alienæ diœcesis.
- 8. Reservatio casuum Episcopaliū an duret post mortem Episcopi.
- 9. Casus Papales habent omnes censuram annexam.
- 10. Excusatus à censura propter defectum culpæ mortalis vel contumacia seu scientia excusatur à reservatione.
- 11. In casibus Papalibus consuetudo attenditur, & ibi de bulla cœnæ.
- 12. Actus merè internus non est reservatus.
- 13. Casus Papalis propter difficultatē fit Episcopalis.
- 14. De privilegiis Regularium absolvendi à casibus reservatis.

Magnoperè ad Christiani populi disciplinam & pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, inquit Concil. Trid. sess. 14. de Sacrament. Pœnit. cap. 7. ut atrociora quadam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur, unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare, idemque Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in edificationem tamen, non in destructionem licet, &c.

Sunt igitur CASUS RESERVATI alij Papales, alij Episcopales. Catalogum aliquem pone-

N E

ponemus ad finem §. interim in genere de utrisque.

2 *Quer. I.* Quid faciendum Parocho vel Confessario, si pœnitens inter cœtera confiteatur Casum Reservatum? *R.* Si facilis copia sit Superioris, qui sibi casum reservavit, ad eum totam confessionem remittendam esse, si verò difficilior sit aditus ad superiorem, vel alia causa v. g. infamiæ vitandæ urgeat confessionem aut communionem, posse pœnitentem absolvi à non reservatis, reservatâ absolutione à reservatis cùm superior copiam sui fecerit, idemque procedet, tametsi casus reservatus habeat excommunicationem annexam, cùm enim excommunicatio jure tantùm positivo Ecclesiastico arceat ab usu Sacram. Pœnitentiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. *Barb. ad d. c. 7. Trid. in 27. Laym. de Sacram. Pœn. c. 12. n. 10. Et seqq. Fagund. in 5. Eccl. præcept. præcept. 2. lib. 8. c. 3.*

3 *Quer. II.* Utrum Parochus nullo casu absolvere possit à reservatis? *R.* in articulo mortis nullum casum esse reservatum, *sed omnes Sacerdotes* (quod DD. etiam ad excommunicatos, suspensos, irregulares, degradatos, Schismaticos & hæreticos extendunt, apud *Barb. in Collect. ad Cap. 7. Trid. S. 14. de Sacram. Pœnit. n. 13.*) quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt Ecclesiâ ex singulari pietate & benignitate tunc conferente jurisdictionem *jux. Trid. d. cap. 7. s. 14. dicitur*

dicitur autem *mortis articulus* non tantum quando pœnitens jam agonizat, sed tametsi vivat & vivere possit, est tamen ex verosimili medicorum aut prudentum virorum iudicio in propinquo mortis periculo, veluti si peste infectus sit, si in ipso conflictu bellico aut periculo naufragij constitutus, &c. *Barb. d. c. 7. n. 11.*

Quar. III. Utrum in periculo mortis à casu reservato absolutus, si reconvalescat, teneatur se præsentare Superiori, & novam absolutionem petere? *R.* esse distinguendum, an casus fuerit simpliciter reservatus, vel an fuerit reservatus propter censuram annexam? si fuerit simpliciter reservatus, non erit opus nova absolutione, quia præcedens absolutio in articulo mortis data ex commissione Ecclesiæ fuit vera absolutio, ac proinde omnes absolutio- nis effectus operata est. *cc. apud Barb. d. c. 7. n. 16.* si autem quis in articulo mortis à Censura sive à Jure sive ab homine lata absolutus fuerit, is cessante periculo Superiorem adire debet, ut ejus mandatum de satisfaciendo suscipiat, aliàs in censuram reincident ipso jure. *cap. eos qui. 22. de sent. excom. in 6.*

Quar. IV. Quid si pœnitens nulla ratione persuaderi possit, ut Superiorem accedat, quin potius ob animi duritiam dilaturus confessionem, aut etiam in omnem peccandi licentiam sese effusus sit, maximè si rationabilem recusandi causam habeat, quia scil. prudenter ti-
met

met damnum aliquod extrinsecum, v. g. Sigilli violationem, odium superioris, aut ne is scientiâ ex confessione ad externam gubernationem utatur? *R.* tali casu debere Parochum à Superiore licentiam absolvendi petere (cautè tamen & in genere, ad aliquem casum reservatum ne persona pœnitentis innotescat) atq; ad eam præstandam Superiorem teneri & obligari, ne reservatio casuum, quæ ad salutem animarum & ædificationem concessa est, ad ruinam & destructionem tendat. *Reverendissimus D. Christoph. Rasler in tract. suo de pœnitenti. c. 7. §. 35.*

6 *Quer. V.* An Parochus, qui licentiam absolvendi à reservatis non habet, possit pœnitentem mittere ad alium Parochum vel Religiosum, qui eam licentiam obtinet? Sanè pro Negativâ facit, quòd Concil. Trid. d. c. 7. f. 14. velit pœnitentem non ad alium quàm ad Superiorem remitti, ne aliàs reservatio Episcopi facillè eludatur. Item quòd Parochus alteri Jurisdictionem in suum subditum delegare non possit in tali materia, in qua ipse eandem non habet, cùm nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habeat. *c. nemo 79. de R. l. in 6. & delegatus ex propriâ, sed ex Jurisdictione delegantis judicet. arg. c. sanè. 11. de offic. deleg.* Verùm ego quidem non dubito, quin pœnitens moneri debeat, ut Episcopum pro absolutione accedat, quòd si autem difficulter persuaderi possit vel justam recusandi causam

ha

habeat, planè existimo, quòd ad alium habentem licentiam absolvendi à casibus reservatis rectè dimittatur. Neque propterea eluditur decretum Concilij, reservatio Episcopi, quia in talibus circumstantijs etiam ipsum Episcopum teneri ad præstandam licentiam alteri jam supra dictum est. Illud verò videtur habere aliquam difficultatem, quo Jure ab alio quàm proprio Parocho vel Episcopo talis pœnitens absolvatur? Non enim *ordinario*, quia subditus non est: neque etiam *delegato*, quia à proprio Parocho Jurisdictio circa casum reservatum delegari non potuit, ut dictum. Sed R. hanc Jurisdictionem ex qua Confessarius alienum Parochianum ad se venientem cum licentiâ proprij Parochi absolvit, non esse *delegatam* sed *prorogatam* & consequenter *ordinariam*. Hæc enim est differentia inter Jurisdictionem *delegatam* & *prorogatam*, quòd *delegatam* habens præcisè ex Jure delegantis judicet, *prorogatam* autem habens judicet ex propriâ, quia non confertur ipsi nova Jurisdictio ab alio, sed tantùm alienus subditus sese ipsius Jurisdictioni subjicit. l. 1. § 2. ff. de judiciis.

Dices, quomodo dignosci poterit *delegatane* sit Jurisdictio *an* *prorogata*? R. tunc censendam esse *delegatam* Jurisdictionem, si commissio dirigatur ad ipsum absolventem novam ipsi Jurisdictionem conferendo, *prorogatam* verò tunc, si ipsi subdito tantùm detur licentia, ut alteri, qui aliunde jam Jurisdictionem habet, se subjiciat

jiciat

jiciat. *cap. significasti. 18. de foro compet.* Porro licet in causis spiritualibus & circa forum internum *prorogatio* Jurisdictionis sine consentu proprii ordinarij invalida sit, quia ubi de bono animæ agitur proprius Superior cognoscere debet, qui pro ea est rationē redditurus. *Barb. in d. c. significasti. sub n. 8.* attamen quòd cum licentia proprii Superioris maximè subexistente justâ causâ *prorogatio* rectè fiat satis exploratum est, haud enim assignari potest diversitatis ratio, cur proprius Superior possit alteri suam Jurisdictionem in suum subditum delegare, & cur non etiam possit ipsi subdito licentiam dare, ut se alterius Jurisdictioni subjiciat.

7 *Quar. VI.* Quid statuendum si habens casus reservatos sit ex aliena diœcesi, & tantùm per accidens hic & nunc commoretur ad tempus in illa ubi confitetur, v. g. peregrinationis aut certi alicujus negotij expediendi causâ, & tres casus in proposito distinguunt DD. primus est utrum talis pœnitens confiteatur casum, qui non sit quidem reservatus in sua, sit tamen reservatus in Confessarij diœcesi? Secundus, an casus sit reservatus in diœcesi Pœnitentis, non verò in diœcesi Confessarij? Tertius, an casus sit reservatus in utraque diœcesi tam pœnitentis, quàm Confessarij? omnes hos casus ex eodem principio resolvunt, videlicet. Quòd attendendæ sint leges loci ubi confessio fit, quia Jurisdictio & judicium regulatur secundùm leges loci, in quo exercetur

proin

proinde in primo casu putant pœnitentem absolvi non posse, secus verò in secundo. *Laym. de Sacrament. pœnit. c. 10. n. 10. cum cc. ibidem.*

Verùm Ego circa resolutionem primi casus planè subsisto; Nam quæro, quando casus pœnitentis non est reservatus in propria diœcesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium, vel Episcopum loci ubi confitetur? non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit, non etiam ad Episcopum loci ubi confitetur, quia non est ipsius subditus & reservationes casuum tantum intelliguntur circa subditos. *tex. in d. c. 7. Trid. s. 14. de Sacram. pœnit.* sunt enim introductæ, ut quilibet Episcopus suos non alienos subditos in officio contineat, maximè verò si casus reservatus in aliena diœcesi patratu sit, sicut *in cap. 2. de constit. in 6.* expressè dicitur, quòd excommunicatio Episcopi extra suum territorium locum non habeat, licet subditus ipsius Episcopi (quarò magis non subditus) peccatum illud propter quod excommunicatio lata est, extra territorium Episcopi perpetraverit. Magis proinde existimarem hoc casu pœnitentem simpliciter absolvi posse, non obstante, quòd judiciũ secundum leges loci exerceatur, quia hoc procedit regulariter, nisi subjecta materia in casu aliquo speciali ex adductis rationibus aliud exigat.

Alterius quoque casus resolutio propterea non caret scrupulo, cum non sit absolutè verum, quòd semper Jurisdictio secundum leges loci

loci exerceatur. Ecce si quis in Ungaria habi-
tans, ubi Concil. Trid. receptum non est, con-
traxerit Matrimonium sine Parocho & testi-
bus, & alibi super hoc Matrimonio disputetur
ubi Concilium receptum, id non secundum
leges loci, ubi disputatur, sed ubi contractum
fuit, judicari debet *arg. l. si fundus. G. de evict.*
l. 1. C. de emancip. lib. Sanch. de matrim. lib. 3.
disp. 18. n. 27. similiter si testamentum fiat se-
cundum particulares consuetudines alicujus
provinciae, id in toto mundo validum repu-
tari debet & secundum illas consuetudines ju-
dicari. *l. 2. C. quemad. testam. aper. Gail. lib. 2.*
obs. 123. Verum quidem est, quod quando agi-
tur de solennitate extrinseca judiciorum v. g.
de satisfactione, forma libelli & litis contesta-
tione &c. item & de competentia jurisdictionis,
judicandum sit secundum leges loci, sed
hoc quatenus causa est in loco judicij, ut quia
ibi contractus initus, vel delictum commissum
est. hinc etiam Austriacus in ejus Patria re-
stitutio in integrum reservatur Principi terrae,
Sutting. in process. judic. infer. Aust. obs. 102. in
alia provincia litigans à judice condemnante
restitui potest. *jux. l. 3. C. ubi & apud quem re-*
stitu. &c. quia ibi est causa restitutionis scilicet
sententia judicis, probatio omissa &c. & de-
mum hæc absolutio præjudicabit juri & refer-
vationi proprii ordinarij, quam pœnitens fa-
cilè eludet, si ad aliam diœcesim pro absolu-
tione transferit, sicut ergò prorogatio aliena
juris

jurisdictionis non admittitur, ubi agitur de præ-
judicio proprii Ordinarij, *c. significasti. de foro
comp.* ita nec hic &c.

Interim quia prædicta sententia favet con-
scientiæ, & pro se habet graves & classicos
authores, nolo damnare practicantem. Sed
quid si casus fuerit in utraque diœcesi reserva-
tus? absolvi posse ab Episcopo loci ubi pœni-
tens confitetur vel qui ab eo potestatem habet
exposito principio, quod secundum leges loci
judicandum, censet Laym. *d. l.* verum quia
istud principium habet multas limitationes, ut
ostensum, ideo probabilius mihi videtur, pœ-
nitentem esse remittendum ad suum proprium
Ordinarium vel ab eo potestatem habentem,
si casus in ipsius diœcesi commissus sit, nam
ad ipsum pertinet, eradicare evellere & dissipa-
re vitia suæ diœcesis & suorum subditorum, &
ita Castro Palao. *de Sacrament. Pœnitent. disp. un.
punct. 15. §. 4. n. 1.* generaliter & rectè docet,
casus reservados à nullo, quàm à reservante, &
cui is potestatem dederit vel superiore ejus ab-
solvi posse.

Quer. VII. Utrum reservatio casuum duret **8**
etiam post mortem Episcopi, & sede Episcopali
vacante? *R.* si reservatio sit facta à Synodo
Provinciali vel diœcesanâ per modum statuti
perpetui, tunc durabit etiam post mortem Epi-
scopi, *arg. cap. fin. ubi gl. v. Statuta. de offic. leg. &*
habens Casum Reservatum sede vacante mit-
tendus erit ad Vicarium Capituli. Qui tamen
MAN. PAROCH. O à de-

à defuncto Episcopo habuisset licentiam absol-
vendi à casibus reservatis, is eandem (nisi
tempus, ad quod licentia restricta est, jam ef-
fluxisset) etiam sede vacante exercere posset,
quia gratiæ non exspirant morte concedentis.
*cap. si cui. de præb. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 8.
disp. 28. n. 72.* Sin autem non constet de tali
Statuto perpetuo, sed Episcopus defunctus
proprio motu sibi reservaverit casus aliquos
(quod videtur in dubio præsumi posse, quan-
do nulla extant statuta synodalia, quæ com-
muniter solent typis imprimi) tunc hæc refer-
vatio unà cum Persona Episcopi expirasse cen-
setur, & sede vacante quilibet Confessarius ab-
solvere poterit. *Zerola in praxi Episc. p. 1. v. Ca-
sus reservati. n. 4. Em. Sa. v. Absolutio n. 20.*

Specialia quædam notanda circa
casus Papales.

- 9 I. Nullus casus est Papæ reservatus nisi qui
simul habeat annexam censuram ex-
communicationis. *Nav. in Man. c. 27. n. 101.* ideò
II. Si Pœnitens propter aliquas circumstan-
tias possit excusari, quòd censuram non
incurrerit, quamvis casum illum reservatum
perpetravit, non est mittendus ad Papam, sed à
Parocho vel alio Confessario absolvi poterit.
10 III. Cùm nulla excommunicatio vel Cen-
sura incurratur nisi propter peccatum mortale,
ideò quotiescunque aliquis Casum Reserva-
tum sine peccato mortali perpetravit, puta ob
igno.

ignorantiam invincibilem, inadvertentiam, non sufficientem deliberationem, parvitatem materiae, &c. toties etiam à censurâ, & consequenter à reservatione excusabitur. *Cov. in relect. cap. alma mater. de sent. excom. in 6. §. 9. n. 1.*

IV. Favore Conscientiæ quorundâ est opinio non affici aliquê censurâ Ecclesiasticâ, non tantùm si ex probabili & tolerabili ignorantia nesciat actum quem agit esse prohibitû, sed etiam si sciat esse prohibitum, ignoret autem esse censuram annexam, sicut hujusmodi probabilis & tolerabilis ignorantia datur in constitutionibus & canonibus, non ita per locorû Ordinarios publicatis, maximè circa fœminas, milites, rusticos, pupillos & minores, utpote qui aliàs per Juris ignorantiam excusantur. *l. cum de indebito. 25. §. 1. de probat.* quam sententiam tenet Ang. *in v. excommunicatio. 7. cas. ult. & videtur probare Sylv. in v. ignorantia. §. 8.* Non obest, quòd rusticus v. g. grave delictum perpetrans ultimo supplicio afficiatur quamvis ignoret, tam gravem pœnam delicto esse præfixam, sicut in contrarium argumentatur *Cov. in d. c. alma mater §. 10. n. 9.* Nam imprimis vel delinquens scit, actum quem agit esse prohibitum, vel ignorat: si scit, vix potest contingere, ut ignorantia pœnæ non sit nimis crassa & affectata, siquidem pœnæ publicæ & toto mundo inspectante soleant infligi: si ignoret, actum quem egit esse prohibitum, ejusque ignorantia probabilis fuerit, falsum est

suppositum, quòd pœnâ præsertim ultimi supplicij rectè plectatur. Deinde quidquid sit in aliis causis, diversa est ratio in Censuris, quæ sine contumacia & saltem interpretativo contemptu ipsarum censurarû non incurruntur, contumacia autem quòd in ignorante non datur per se clarum est, & etiam advertit Cov. d. §. 10. n. 7. *optimus tex. in c. 2. de Constit. in 6.*

II V. Circa excommunicationes, quæ ipso jure inferuntur, etiam ad consuetudines locorum attendendum erit, quia multæ excommunicationes, quas Authores longa serie recensent, in Germania receptæ non sunt, vel certè contrario usu abrogatæ sunt teste Henric. Magnigart. in suis parvis resolut. Moral. cap. 5. §. 9. quòd autem lex non recepta non liget, cõmuniter sentiunt DD. per tex. in cap. in istis. §. leges. dist. 4. Nav. in Man. cap. 23 n. 41. Menoch. lib. 2. præsumpt. 2. & quòd lex etiam recepta per contrariam consuetudinem tolli possit, constat ex cap. fin. de Consuet. & pluribus aliis locis. quæ sanctæ consuetudo vel ex ipse rationabilis est, ne ob multitudinem censurarum fideles periculum animarum suarum incurrant, & nervum Ecclesiasticæ disciplinæ contemnant. arg. tex. in Trid. s. 25. de reform. cap. 3. & in c. 2. de Constit. in 6. Specialis est difficultas, quid censendum sit, de casibus Pæpaliibus in Bulla Cœnæ Dominice reservatis, an etiam illa Bulla possit dici non esse recepta, cum tamen singulis annis rigorosè Romæ promulgetur? Audivi à viris fide dignis,

dignis, quòd aliqui Magni Principes Germaniæ non sint passi illam Bullam in suis territoriis promulgari, fortè quia plurimum defendit immunitatem Ecclesiasticam: Sed an id jure fecerint, aliis disputandum relinquo. Interim ad nostrum propositum dicendum videtur, subditos habere justam ignorantie causam, & consequenter non incurrere censuras prædictæ Bullæ, si in aliqua diocesi non promulgentur. *tex. notab in cap. cum infirmitas. 13. de pœnit. & remiss. ibi postquam per Prælatos locorum fuerit publicata &c. & tenet Cajet. in 1. 2. q. 90. art. 4. ac in specie quòd Bulla Cœnæ non recepta non liget, asserit Nav. Consil. 1. de const. n. 74. in summariis Paul. Laym. de excom. cap. 5. sub n. 2. ubi refert Becanum idem sentientem.* quidquid fortè sit de aliis causis civilibus & judicialibus, quæ periculum animarum non ita immediatè tangunt, in quibus ex stilo Curiæ omnes Bullæ Romæ tantum promulgatæ hoc ipso etiam in partibus obligant, aliud tamen est circa Bullas continentis censuras, ad quas incurrendas requiritur contumacia, & consequenter scientia acquisita ex debita promulgatione vel usu ac consuetudine. *arg. cap. cum infirmitas. de Pœnit. & remiss. Chokier de jurisd. Ord. in exem. p. 1. q. 50. à n. 5. & quia in d. c. cum infirmitas requiritur publicatio per ordinarios facienda, non sufficit scientiam censuræ ex lectione librorum acquisivisse. nam aliàs, non foret consultum SS. Canonibus vel*

casibus conscientiae studere, & rudes atque indocti melioris conditionis forent, quam illi, qui se pro Ecclesiae utilitate litteratos & doctos reddiderunt. Illud verò hic advertendum est, nulla consuetudine effici posse, ut delicta in Bulla cœnæ vel alijs Canonibus specificata licita fiant, sed tantùm, ne propterea censura reservata incurratur, quæ juris solùm humani pœna est.


12 VI. Nulla excommunicatio vel Casus Reservatus incurritur propter actum merè internum, v. g. peccatum cogitationis, hæresim mentalem &c. quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, sed requiritur actus externus verbo vel opere externo demonstratus, & quidem consummatus, *vid. inf. sub casu Bullæ 13.*

13 VII. Qui casum Papalem habent ab Episcopo absolvi possunt, si sint ejus conditionis, quòd Romam venire sine magna difficultate non possint, uti sunt fœminæ, pueri, filijfam. in potestate patria constituti, senes, infirmi, habentes inimicitias capitales, aut aliud justum impedimentum, propter quod tale iter suscipere nequeant, ita tamen, ut hi qui impedimento temporali laborant (exceptis pueris, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolvuntur, cum propter puerilem ætatem, in qua delictum admiserunt, veniam mereantur) cessante impedimento debeant ad sedem Apostolicam accedere. Item magni & potentes Domini absolvuntur: quidem in partibus, sed

S. 1 on.

S. Pontifex prius debet de statu Personæ & qualitate causæ certiorari, ut absolutio secundum ipsius mandatum impendatur, *vid. tex. in cap. mulieres. 6. cap. de cetero. 11. c. quamvis. 58. c. fin. de sent. excom.*

VIII. Demùm hodie plerumque non est ¹⁴ necessè pœnitentem cum casu Papali Romam mittere, quia Legati aut Nuntij Apostolici in partibus existentes, vel etiam diversorum ordinum Religiosi præsertim mendicantium potestatem & privilegium habent à casibus S. Pontifici reservatis absolvendi. Sed de huiusmodi specialibus Privilegijs illi ipsi Religiosi consulendi erunt: nam S. Congreg. Episcop. & Regul. de Mandato Clem. VIII. die 9. Mensis Jan. Anni 1601. resolvit, quòd quicumq; Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti tam intra quàm extra Italiam virtute privilegiorum suorum quorumcunque non possint absolvere à casibus in Bulla Cœnæ vel Episcopis reservatis. prout hanc resolutionem in terminis refert Quaranta in *Summa Bull. verb. casus reservati. n. 13.* & ex Aldan. allegat. Barb. in *Collect. ad c. 7. Trid. s. 14. de Sacram. Pœnit. n. 23.* ubi ponit hanc resolutionem esse datam 17. Novemb. 1628. quod fortè de renovatione intelligendum est, quia *Data* apud Quarant. *d. l.* est antiquior.



CATALOGUS

Excommunicationum Papæ reservatarum.

CAsus Papales alij sunt in *Bulla Cœnæ*, alij extra Bullam in alijs Canonibus reservati. In *Bulla Cœnæ* fertur excommunicatio reservata,

I. *Contra hæreticos, eorumque fautores, ac libros legentes retinentes vel imprimentes, item & Schismaticos.* Circa hunc casum aliqua advertenda sunt. & imprimis tria requiri, ut hæc excommunicatio incurratur. I. ut aliquis sit *formalis* hæreticus, id est, scienter & pertinaciter eligens vel credens aliquid contra veritatem Ecclesiæ Catholicæ, non autem sufficit aliquem esse hæreticum *materialem*, qui scilicet, sine pertinacia & ex ignorantia licet crassa hæresim sequatur. *c. dixit Apostolus. & cap. qui in Ecclesia. 24. q. 3.* Unde qui à secta Lutheri vel Calvinii recedere cupiunt, si probabili vel saltem non mortaliter culpabili ignorantia laborasse videantur, à locorum Parochis jure absolvi possunt. Ecclesiarum tamen consuetudo ferme requirit, ut tales ad eos mittantur, qui absolventi ab hæresi licentiam habent. II. requiritur, ut hæresis non solum in animo consistat, sed verbo aut facto extrinsecus significetur, quia actui merè interno Ecclesia non ponit pœnam, *c. cogitationis. de pœnit. dist. 1.* ideò talis hæretic

reticus purè mentalis, à quolibet Confessario absolvi poterit. III. ut actio externa sit moraliter mala, & fiat animo profitendi vel defendendi hæresim, atque ita ab alijs accipiatur. Proinde qui causa quærendæ instructionis alteri quam hæresim detegit, vel qui à missa abstinet vel diebus jejunii carnes comedit animo hæretico, videntes autem existiment id ex alia causa fieri, vel si verbum hæreticum ab audientibus jocus putetur, non incurretur excommunicatio, quia actus externus in morali hominum acceptione non est hæreticus, & actus internus pœnâ excommunicationis non afficitur.

De dubitante in aliquo fidei articulo controvertunt DD. an sit hæreticus censendus? quidam affirmant *arg. c. 1. de hæretic.* & quòd negare articulum fidei esse certum, sit hæreticum, dubitans autem saltem implicite neget esse certum, aliàs non dubitaret. Verùm alijs benignius dubitantem non quidem à peccato sed tamen à formali hæresi & hæreticorum pœnis excusant apud Barb. *in d. c. 1. n. 2. & 3.* quia hæresis est actualis electio erroris contra fidem, dubitare autem est quid medium, nec ponit actualem electionem vel reprobationem, sicut inter placere & displicere medium est, non displicere, sive nec placere, nec displicere. *tex. verò in d. c. 1.* explicari potest, quòd in foro externo præsumatur hæreticus, qui palam suam dubitationem jactat, nec paratus est à Doctoribus erudiri.

Re-

Receptatores, fautores & defensores hæreticorum illi solùm intelliguntur, qui hæretico favorem & auxilium exhibent, non in aliis negotiis, sed quatenus hæreticus est, ut hæresim suam facilius docere, defendere, aut manus iudicis effugere possit, quamvis ipsi actualem fidem (aliàs enim Bulla gratis inter hæreticos & receptores distingueret) ei non habeant. *arg. l. 2. ff. de receptat.* limitatur tamen I. nisi persona sit valde conjuncta, ut patris aut filij &c. *arg. d. l. 2.* II. Ut tunc procedat, si ex receptione malus effectus secutus sit. Infideles nunquam baptizati extra Ecclesiæ jurisdictionem sunt, & ideo censurâ non afficiuntur. secus est de apostatis à fide, qui subjacent hæreticorum pœnis, sicut enim character baptismi indelebilis, ita indeclinabilis Ecclesiæ jurisdictio.

Circa libros hæreticorum notant communiter DD. quòd ex usu præsertim Germaniæ tunc solùm sub censurâ prohibiti sint, si ex instituto de religione tractent. (supposito etiam, quòd legens sciat esse librum hæreticum & sub censura prohibitum) non autem si de jure, medicina vel alia materia, licet aliqua hæretica interserant: Item quòd parvitas materiæ (quam communiùs ad lectorem unius paginæ constringunt) à censura excuset. Ait etiam Mart. Becan. 22. c. 15. q. 8. n. 5. ubi Bulla *Cœna* vel index librorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos. Quæ sententia præsertim in
illis

illis locis deservire potest, ubi omnia scatent hæreticis & hæreticorum libris, ubi enim facilis est peccandi materia, non expedit tam gravem censuram dictare, ne conscientis laqueus injiciatur, cum lex debeat esse non valde difficilis, sed utilis secundum patriæ consuetudinem loco & tempori conveniens. *c. 2. dist. 4.*

Interim licet forsan in aliquibus locis bulla aut index librorum receptus non sit, quoad censuras, non tamen passim excusandi sunt à peccato, qui libros prohibitos & obscenos legunt propter perversionis periculum.

Index porrò librorum habet duas classes, in prima prohibentur libri hæretici sub censura reservata: in altera continentés doctrinam falsam vel bonis moribus repugnantē sub censura non reservata. Inter alia in hoc iudice prohibentur etiam legi Biblia sacra vulgari idioma te sine Episcopi vel inquisitoris licentia, sed & hoc in Germania non esse receptum, testatur *Laym. lib. 2. tract. 1. c. 15. n. 8.* & optandum foret magnopere, ut præsertim Clerici & doctiores diligentius in lectionem S. Scripturæ incumberent, ne quòd frequenter cum magno Catholicorum scandalo accidit, à quibusvis etiam plebeis hæreticis confunderentur. Ego sanè quoties Scripturam lego, magis contra hæreticos confortor, quia semper deprehendo, quòd vel mutilatè aut depravatè Scripturas allegent, vel textus aliquos notent, quos præter intentionem Scripturæ interpretantur ad vitæ carnalis licen-

licen.

licentiam, omittentes textus illos, qui ad perfectionem spiritus castigata carne & rigorem observantiae mandatorum & consiliorum Dei tendunt. *vid. sup. par. 1. c. 3. n. 7. & par. 2. cap. ult. de jejun.* perfectissimum autem hæreticorum à fide Catholica recedentium speculum est Epistola 2. Petri cap. 2. una cum commentario Cornelij à lapide.

Quòd si Parochus inter suos quosdam habeat, aut suspicetur hæreticos, non est semper consultum scholastica disputatione cum ijs contendere; docti enim ob pertinaciam, & indocti ob ruditatem non capiunt vim argumentorum, præsertim verò non debent ipsi nova dubia in fide proponi, quam quæ ipsimet ex se priùs conceperunt, ne magis dubij reddantur. Igitur potiùs expedit mansuetè cum ijs agendo tollere *radicem hæresis*, eos disponendo ad veram suorum delictorum pœnitentiam, remonstrando ex Scriptura & SS. Patribus peccatorum gravitatem & qualiter nos à regno Cælorum excludant. nam certissimum est, radicem hæresis esse peccatum, præsertim carnis, avaritiæ, ⁱⁿ justitiæ, teste Apost. 1. ad Tim. 6. *Radix, omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* 1. ad Tim. 1. *repellentes conscientiam circa fidem naufragaverunt.* 2. ad Tim. 3. *mali homines proficient in pejus errantes & in errorem mittentes.* Examinent se ipsos hæretici, considerent pietatem

tatem & zelum resipiscentium ab hæresi, è contra malitiam ad hæresim transeuntium.

II. Excommunicatio reservata est contra eos, qui à sententia Romani Pontificis ad futurum Generale Concilium appellarint, vel quorum favore aut auxilio appellatum fuerit.

III. Contra Pyratas maritimos eorumque fautores, qui mare S. Pontificis infestant.

IV. Contra occupantes bona naufragantium.

V. Contra imponentes nova pedagia, vel gabel- las extra casus sibi permisos.

VI. Contra falsificatores litterarum Apostolica- rum.

VII. Contra dantes auxilium, equos, arma, vel materiam armorum infidelibus aut hæreticis, vel eos de statu Catholica Religionis certiores faciunt.

VIII. Contra impedièntes victualia ad Curiam Romanam deferri.

IX. Qui accedentes ad Sedem Apost. vel rece- dentes ab ea, vel morantes in Curia, per se vel per alios interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt vel de- tinent absque jurisdictione legitima.

X. Qui offendunt Romipetas, vel peregrinos ad urbem causa devotionis.

XI. Contra eos, qui affligunt, vel persequuntur Cardinales, Patriarchas, Episcopos aut Legatos Se- dis Apostol.

XII. Contra percutientes aut spoliantes eos, qui in Curia Romana pro se vel pro aliis causas agunt, aut judicant, occasione dictarum causarum. Ali- quahter differt hæc censura ab ea, quæ superius loco

loco nono posita est, quia ista etiam comprehendit iudices & advocatos (si modo propter negotium in Curia actum offendantur) superiores solum accedentes.

XIII. *Contra eos, qui prætentes frivolum quandam appellationem recurrunt ad Laicam potestatem in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum. Item qui impediunt pro suis negotiis ad Rom. Curiam accedere, vel litteras Apostol. impetrare volentes.*

Sed quia S. Pontif. dicit *prætentes frivolum appellationem &c.* idè non desunt, qui cum Sayr. l. 3. thesaur. casuum conscient. cap. 17. n. 3. probabile reputent, tantum frivolum appellationem sine justa causa interpositam ad Laicum iudicem comprehendi. Et Covar. pp. qq. cap. 35. n. 3. refert in Hispania esse praxim, quod gravatus à iudice Ecclesiastico possit simplicem querelam deferre ad tribunal Regium, cui dein competat causam examinare, & datà injustitià iudicem Ecclesiasticum ad rescissionem actorum compellere. Attamen hæc praxis sepositis specialibus privilegiis sustineri nequit. teste Laym. l. 4. tract. 9. c. 4. Azor. tom. 1. Inst. mor. lib. 5. cap. 14. nec regulariter salva immunitate Ecclesiastica recursus ad iudicem sæcularem etiam ob denegatam justitiam in foro Ecclesiastico admittitur, propter defectum scil. jurisdictionis in iudice sæculari, sed ad superiores Ecclesiasticos, eisque ad Papam, qui ulterius à nemine iudicatur, sed tota ipsius
causa

causa DEI iudicio reservatur. *c. si Pape d. 40.*
 Interim consuetudo immemorabilis, licet de
 rigore juris non usquequaque subsistens vel
 gravis Doctoris sententia, sicut potest à con-
 tumacia, ita etiam à censura excusare, insinuat
 Palao. *de censur. disp. 3. punct. 14. n. 3.* ubi etiam
sub n. 8. v. notanter. putat, in casu manifestæ
 injuriæ recurrentem ad tribunal sæculare non
 incurrere hanc censuram, quòd non sit ver-
 simile Ecclesiam injuriantem à Pontifice cen-
 suris protegi. & cum Ecclesiæ non concedatur
 jurisdictio ad injuriandum, non videtur iudex
 sæcularis vel recurrens in tali casu ejus juris-
 dictionem impedire, sed tantùm facto injuriæ
 per modum naturalis defensionis resistere. Sed
 hoc vix unquam contingit, ut injuria sit tam
 manifesta, quin aliquo examine judiciali indi-
 digeat, quòd examen profecto iudici sæculari
 permittendum non est, qui potiùs in dubio pro
 iudice Ecclesiastico præsumere debet, quàm e-
 jus processum sub suam jurisdictionem revo-
 care. Illud verò satis probabiliter asseritur à
 Palao. *d. l. n. 15. contra Bonac. de cens. disp. 1.*
q. 14. p. 2. n. 27. quòd ad incurrendam censu-
 ram requiratur, ut impeditio litterarum Apo-
 stolicarum actu & cum effectu secuta sit, nec
 sufficiat tentasse impedire. Quia verba acci-
 pienda sunt cum effectu, præsertim in lege pœ-
 nali, quæ interpretatione potius mollienda est.
l. pen. ff. de pœnis. huc facit, quòd extra delicta
 gravissima & casus specialiter in jure expressos
 solus

solus conatus ad delictum ex generali consuetudine non puniatur pœnâ ordinariâ. *vid. Covar. in relect. Clem. si furiosus p. 2. in princ. n. 6. §. II. cum citatis ibidem. Harp. ad tit. Inst. de publ. iud. §. 5. n. 386.*

XIV. *Qui quocunque pretextu causas spirituales à iudicibus Ecclesiasticis avocant, ut illarum executionem impediunt. hanc censuram aliqui DD. limitant, ut tantum locum habeat, in iudiciis Laicis avocantibus, & à iudicibus non quibuscunque Ecclesiasticis, sed duntaxat Apostolicis, vid. Cast. Palao. de censur. disp. 3. punct. 15.*

XV. *Contra personas seculares, qui directè vel indirectè ad sua tribunalia trahunt Ecclesiasticos, vel aliquid in præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis sub quovis pretextu privilegij vel consuetudinis statuunt, aut statutis utuntur. Hæc & prior censura procedit etiam contra Ecclesiasticos, qui potestate laica, quâ funguntur, contra committunt.*

XVI. *Contra impediētes directè vel indirectè Prelatos Ecclesiasticos ne sua jurisdictione utantur. Item recurrentes ad curias seculares, ab usque impetrantes mandata contra iudices Ecclesiasticos, & qui talia mandata decernunt exequuntur vel consilium favorem aut patrocinium præstant.*

XVII. *Contra usurpantes jurisdictionē aut fructus pertinentes ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, iunge Trid. sess. 22. c. 11. Non tamē comprehendit usurpationem fructuum*

loci

locatorum, etsi locatio sit facta Clerico, cum Bonacina & Duardo docet Palao. d. l. punct. 18. n. 21. quia non percipiuntur ex beneficio sed ex locatione.

XVIII. *Contra imponentes aut recipientes decimas aut alia onera à personis Ecclesiasticis absque Papa licentiâ, nec non, qui per se vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare aut consilium, auxilium vel favorem prestare non verentur.* Volunt verò hic iterum DD. talem exactionem debere fieri ex potestate laica. Olim etiam excommunicationem reservatam incurrebant Clerici solventes. c. Clericis. de immuni. Eccles. in 6. quod postea sublatum est in clem. quoniam. eodem tit. quando verò licet à personis Ecclesiasticis exigere, dictum est supra p. 1. de Immunitate Eccles.

XIX. *Contra iudices, notarios, scribas, executores, se immiscentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas eas processando, banniendo, capiendo &c. nisi id fiat in casibus permittis ex licentiâ Papæ, vel ad invocationem brachij sæcularis per iudicem Ecclesiasticum. vel si Clericus in gravi crimine deprehensus & de fuga suspectus sit, aut à delicto aliter compesci nequeat, plures docent eum à iudice Laico capi & ad Ecclesiasticum remitti posse, dummodo major violentia non adhibeatur, quàm Clerici resistentiâ exposcat.* Pan. in c. cum non ab homine. de judic. Laym. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 6.

MAN. PAROCH.

P

XX.

XX. *Contra destruentes, invadentes, usurpantes vel occupantes terras Romana Ecclesia subjectas, & qui ad id consilium, auxilium, & favorem presterint.*

Excommunicationes reservatæ extra
Bullam Cœnæ.

PRÆTER 20. Casus in Bulla contentos, adhuc ex aliis Canonibus Bullis & Authoribus 88. refert Barbosa *de offic. Epif. p. 3. alleg. 50.* quorum tamen censuræ plurimæ vel specialiter Religiosos Ordines vel statum & terras Pontificias concernunt, referam ergo, quæ frequentius occurrere possent.

Prima est, eaque hominibus maximè cognita & usu recepta, *contra percussores Clericorum. c. si quis suadente. 17. q. 4.*

Nomine *Clericorum* intelliguntur imprimis *in sacris* constituti etiam excommunicati, suspensi, aut verbaliter depositi, etiam *in minoribus* constituti, si habeant conditiones Concilii Trid. *sess. 23. de ref. c. 6.* qui nimirum beneficium Ecclesiasticum possident, vel habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviunt, vel in seminario Clericorum aut in aliqua Schola vel Universitate de licentiâ Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versantur, licet verò Concilium tantùm de privilegio *fori* loquatur, idem tamen magis procedit de privilegio *canonis*, si illud enim jure divino datum amitti

tur ex defectu dictarum conditionum, multo magis istud jure tantum humano positum. Item Monachi, moniales, conversi & novitij hoc canone gaudent. *c. non dubium. c. de monialibus. x. & c. Religioso. de sent. excom. in 6.*

Nomine percussiois aut violenta manuum injectionis intelligitur quælibet injuriosa afflictio corporalis, ut si in publica vel privata custodia detineatur, si per violentiam vestibus exuatur, si quis eum hostiliter insequatur, ut in fluvium aut fossam vel equo decidat. *c. nuper. 29. & ibi DD. de sent. excom.* Præterea hac censura tenentur etiam mandantes consules (si percussio actu secuta sit, nec mandatum prius revocatum) consentientes, non impediens (saltem si ex officio impedire teneantur) item percussorem suo nomine factam ratam habentes. *c. quanta mulieres. 6. §. illi vero. c. 47. de sent. excom. cap. cum quis. 23. eod. in 6.*

Excusantur autem ab hac censura I. ignorantibus invincibiliter percussum esse Clericum, vel etiam ipsam censuram.

II. Si percussio vel ob levitatem, vel casum, aut non sufficientem deliberationem, amentiam, vel ebrietatem usu rationis privantem in genere percussiois ad culpam mortalem non pertingat.

III. Qui violentiam adhibent Clerico incorrigibili post trinam monitionem Episcopi enormitatibus seu seditionibus se immiscens, aut qui aliter à delicto compesci non potest. *c. cum non ab homine. 14. & c. perpendimus. 23. de sent. excom.*

IV. Qui manus violentas in Clericum cum uxore, matre, sorore aut filia (secus est de personis in gradu remotioribus) turpiter inventum. *c. si verò. 3. de sent. excommun.*

V. Si percussio Clerici necessaria sit ad defensionem corporis, bonorum vel pudicitiae in persona propria vel proximi, cum moderamine tamen inculpatae tutelae. *d. c. 3. & c. ex tenere 10. jam d. tit.*

VI. Laici Ministri, qui ad mandatum iudicis Ecclesiastici capiunt vel torquent Clericos, *cap. ut fama. vers. Laici. eod. tit.* Non verò excusantur qui percutiunt malo seu irato animo Clericum, etiam se ultro ad verbera offerentem juxt. Consilium Evang. *Matth. 5. si quis percussit te in dextram maxillam, praebe ei & alteram. c. contingit. 36. de sent. excom.* secus si ex joco, vel dum in die parasite personam Christi agit. in tali enim percussione abest animus injuriandi, & actio ipsa externa non est Ordini clericali injuriosa. Imò tamen si percutiens haberet occultam vindictae cupiditatem, peccaret quidem propter eam, probabilius tamen à centura excusaretur, quia actio externa, cui soli censura infligitur, in morali hominum acceptione non est Clerico injuriosa, prout etiam supra sub primo casu Bullae de haeretico occulto dictum. Utrumque ergò copulativè requiritur, *intentio & actus* injuriosa. Ideò si quis volens percutere Titium Laicum vel etiam Clericum casu vel errore percussit Caium Clericum, quem aut noluit per-

cure-

cutere, aut si voluit, ignoravit esse Clericum, quia fortè in tenebris habuit obvium, non incurret censuram ex intentionis defectu, secùs tamen si novisset Clericum, sed putasset alium suum inimicum, quia tunc fuit formaliter proposita & exercita percussio Clerici, quamvis in persona erratum. *Covar. in c. alma Mater. p. 1. §. 10. n. Laym. de Cens. c. 5. n. 8.*

II. Excommunicatio reservata est contra reventes penes se litteras Papales falsificatas & non destruentes intra 20. dies. *c. dura. de Crim. falsi.* requiritur tamen, ut prius hæc censura generalis per singulas Parochias promulgetur. In Bulla Cœnæ sexto casu excommunicantur falsatores, sed ibi non fit mentio mandantium, fautorum, ideòque hi tantùm incurrunt excommunicationem. *cap. ad falsariorum. de Crim. falsi. Barb. d. alleg. 50. n. 86* quæ ibidem non legitur reservata.

III. Excommunicatus à Papa delegato post annum absolvitur à solo Papa. *c. quærenti. de offic. delegati c. consulisti. de offic. Legati.*

IV. Contra Clericos scienter & sponte admittentes excommunicatos à Papa ad divina officia, *c. significavit. 18. de sent. excom.* quod tamen hodie post Concilium Constant. & extravag. ad evitanda de excommunicatis denunciatis vel notorijs percussoribus Clericorum intelligendum.

V. Contra incendiarios postquam fuerint denunciati. *c. tua nos. 19. De sent. excom.*

VI. Contra frangentes & spoliantes Ecclesias, postquam similiter ab Ordinarijs locorum excommu-

nicati denunciati fuerint. c. conquesti. 22. de sent. excom. Si ex rationabili causa vel usu loci omitatur publicatio, non erit censura reservata, quod si absque violentia res de Ecclesia subtrahantur, magis inter DD. receptum est, non incurri ipso jure censuram. *Barb. in eod. cap. 22. n. 2. arg. cap. ult. de furt. allegat quidem Barb. de officio. Episc. d. alleg. 50. n. 117. Bullam 3. Sixti IV. & n. 183. Bullam Sixti V. cum provida.* ubi extrahentes lapides vel ornamenta ab Ecclesia excommunicationem reservatam incurrunt, sed in Bullario, quod ad manus habeo, reperire non potui.

XII. *Qui per se vel per alium injuriosum gravamen intulerint censurantibus, aut censuram observantibus, nisi intra octiduum satisfaciant, incurrunt excommunicationem, quae post duos menses incipit esse reservata, si prius non sit petita absolutio, cap. quicumque. 11. de sent. excom. in 6.*

VIII. *Contra Dominos temporales, qui malitiosè impediunt interdicti vel excommunicationis effectum. Clem. gravis. de sent. excom.*

IX. *Contra eos, qui cadavera ad alium locum transferenda in frustra comminuunt, prout describitur in extravag. 1. de sepult. inter com.*

X. *Contra committentes simoniam in ordine vel beneficio aut Religionis ingressu. Extrav. 1. & 2. de Simon. inter com.* intelligitur tamen de simonia reali cum actuali traditione & acceptatione rei temporalis pro spirituali, non de sola mentali aut conventionali.

XI. *Con-*

XI. Contra retinentes aut recipientes palam vel occultè beneficia in confidentiam. Pius IV. in constit. Romanus Pontif. & Pius V. in const. intolerabilis, quænam verò dicatur simonia confidentialis, vid. Laym. lib. 4. tract. 10. c. ult. §. 8.

XII. Contra absolventes prætextu privilegiorum invalidorum & revocatorum à casibus Papalibus vel Episcopalibus, vel commutantes 5. vota reservata. Extravag. si dominici. 5. de pœnit. juncto decreto Clem. VIII. edito 9. Jan. 1601.

XIII. Contra eos, qui largiuntur, vel accipiunt aut promittunt in Curia Romana ad obtinendum justitiam vel gratiam. Bonif. 8. in Extrav. 1. de sent. excom. Greg. XIII. in Bulla, ab ipso Pontificatus &c.

XIV. Contra quemcunque Episcopum aut patronum tam Ecclesiasticum, quam Laicum, qui à collatione aut presentatione suspensus beneficium contulerit, ad id præsentarit, vel instituerit. Pius V. constit. 5. 8. quanta Ecclesiam DEI.

XV. Contra exigentes juramenta, de observandis statutis contrarijs Concilio Trid. Greg. XIII. in constit. 103. inter Apostolicas.

XVI. Contra asserentes mortaliter peccare, vel esse hereticos, qui defendunt vel colunt immaculatam B. V. Conceptionem, Extrav. grave nimis. de relig. & ven. sanct. Pius V. Const. 114.

XVII. Contra asserentes confessionem Sacramentalem posse per litteras inter absentes fieri. Decretum Clem. VIII. apud pias. in praxi Epif. p. 2. cap. 1. n. 6.

XVIII. *Contra pradicantes miracula falsa aut prophetias non contentas in sacra Scriptura.* Concil. Lateran. sub Leone. X. sess. 9. notat tamen Navar. in man. c. 27. n. 111. Censuras hujus Concilij non fuisse receptas.

XIX. *Contra duellantes, locum ad duellum concedentes, suadentes ac auxiliantes, spectantes.* Concil. Trid. sess. 25. de ref. c. 9. sed spectatis verbis Concilij, hæc censura reservata non est, postea verò Clem. VIII. eam reservavit. putat tamen Paul. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. sub n. 4. apud Germanos aliòsque Septentrionales hanc reservationem receptam non esse. Præterea ista intelligenda sunt de duellis ex condicto, statuto tempore & loco, ac cum ordinario vitæ periculo, quare non incurretur censura, si duo subito in platea rixam & pugnam incipiant, vel si pugnantium aut armis ordinariè non mortiferis congregiantur, vel si tantum compareant in loco absque actuali pugna, verba enim in pœnalibus cum effectu & propriè accipienda, & sola comparitio non est duellum. Barb. in collect. ad d. cap. 19. Trid. n. 12. Quod etiam de spectantibus dicitur, accipiendum est de illis, ex quorum præsentia duellantes redduntur audaciores, non qui obiter in transitu non figendo pedem, vel clam & occultè aspiciunt.

XX. *Contra quemcunque Christianum, quicumque alium Christianum in terris Turcarum habitantem tanquam mancipium ceperit, aut ejus bona diripuerit, vel qui non permittunt Christianos captivos*

apud Turcas, postquam illos caperint, liberè abire cum suis conjugibus & bonis. Pius V. Constit. 149. licet omnibus.

XXI. Contra ingredientes absque licentia debite obtenta Monasteria Monialium. Trid. s. 25. de Regulari, cap. 5. juncta Bulla Greg. XIII. ubi graua. Sed quia hæc censura in Trid. non est reservata, & Bulla Gregorij videtur principaliter loqui de personis quibusdam illustribus, qui prætextu privilegiorum olim sibi concessorum, nunc verò revocatorum Monasteria ingredi præsumunt, ideò plurimum est DD. sententia censuram tantùm in hoc speciali casu reservatam esse; cæterùm autem à quovis Confessario absolvi posse. arg. c. nuper de sent. excom.

Contra mulieres ingredientes Monasteria virorum non habetur lata censura, quamvis interim talis ingressus ob circumstantias scandali vel periculi facile possit esse peccaminosus. Allegatur quidem & hîc d. Bulla Greg. & Bulla Pij V. que incipit Regularium. inferens censuram reservatam mulieribus, sed & istas Bullas de ingredientibus sub prætextu privilegiorum revocatorum interpretatur Suar. tom. 5. de cens. disp. 22. sect. 6. n. 11. Laym. de statu Religionis c. 12. n. 4. refert autem Navar. de Regul. Comment. 4. n. 62. Pium V. declarasse suam Bullam universim de mulieribus ingredientibus Monasteria virorum procedere, sed responderi potest cum eod. Laym. d. n. 4. hanc declarationem saltem in Germania non apparuisse in forma authentica

aut Episcopis transmissam vel usu receptam fuisse.

Adnotatio de Excommunicatione & ejus Effectu.

Pro coronide hujus catalogi excommunicationum placuit aliqua breviter de ipsa hac censura adscribere

EXCOMMUNICATIO igitur est censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus à communione fidelium excluditur. Hæc censura introducta in Ecclesiam creditur, tum ex potestate *ligandi & solvendi* Ecclesiasticis Prælatiis à Christo tradita, tum ex illis verbis *Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus &c.* tum etiam ex facto Apostoli, qui *1. ad Corinth. 5. & 1. ad Timoth. 1. in fine* quosdam incorrigibiles *satana tradidit*, quem locum de *excommunicatione* interpretatur divus August. in *c. omnis, 32. causa 11. q. 3.* quia *extra Ecclesiam, inquit, diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. &c.*

Censura excommunicationis etiam alio nomine sæpius in jure *anathema dicitur*. anathema enim græca voce in genere significat separationem & divisionem à reliquis rebus, aliquando causa honoris, prout anathema dicuntur Divorum dona, quæ in Templis suspenduntur, aliquando & frequentius causa execrationis, & damnationis prout hæreses & hæretici, aliique
pec-

peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur. Interim licet *excommunicatio* & *anathema* essentialiter non differat, differunt tamen quò ad solemnitatem, nam *excommunicatio* solâ sententiâ iudicis in scriptis conceptâ profertur, *cap. 1. de sent. excomm. in 6.* anathema autem cum quibusdam cæremonijs ad terrorem aliorum peragitur, quales cæremoniæ præscribuntur *in c. debent. 106. causâ 11. q. 3.* ut 12. Ptesbyteri Episcopum circumstant, & post latam anathematis sententiam lucernas ardentis, quas in manibus tenent, in terram projiciant, & pedibus conculcent. cui solemnitati aliæ quoque maledictiones & execrationes verbales addi solent, quas quoad effectum plùs operari, quàm simplicem excommunicationem censet Covar. *in relect. c. Alma Mater. d. tit. in 6. p. 1. §. 6. n. 8.* & colligitur ex *c. nemo Episcoporum. causâ 11. q. 3.* hinc etiam est, quod *in c. cum non ab homine. 10. de iudicys.* contumax contra Ecclesiam primùm excommunicari, deinde verò crescente contumacia anathemate puniri jubeatur.

Dividitur excommunicatio in *majorem*, quæ simpliciter separat à communionem fidelium, & in *minorem*, quæ tantùm separat secundùm aliquid, nimirùm à Sacramentorum perceptione, non autem ab alia communionem fidelium aut Ecclesiasticis suffragijs. Imò nec ab administratione Sacramentorum, licet non facilè ante absolutionem divina ministrari deberent, & propter aliqualem irreverentiam culpa saltem venialis

nialis

nialis administrando committatur. *c. ult. Et ibi Barb. n. 6. de Cler. excom.* incurritur hæc minor excommunicatio, propter communionem prohibitam cum excommunicato, ut mox dicitur. Si tamen in jure excommunicatio feratur, regulariter de majore, non de minore intelligendum est, nisi ex contextu verborum aliter de mente legislatoris appareat. *c. si quem. 59. de sent. excom.*

Hæc verò fidelium communio, quâ excommunicatus privatur, triplex à DD. assignatur, *merè interna, merè externa, & mixta.* Merè interna communio est, quâ fideles per fidem & charitatem inter se & cum Christo uniuntur, ac ob istam unionem quilibet per privatam suam devotionem non tantum pro se ipso, sed etiam pro altero aliquid apud DEUM de congruo promereri potest. juxta illud *Psal. 118. particeps ego sum omnium timentium te.* & illud *Genes. 18.* ubi DEUS propter decem justos in civitate Sodoma voluit parcere alijs peccatoribus. Hac autem merè internâ communione non privatur excommunicatus, quin abolitâ culpâ peccati per contritionem etiam ante absolutionem pro seipso apud Deum promereri valeat, & alij fideles in privatis suis orationibus & pijs operibus illius memores esse possint, & licet publica sacrificia vel collectas nomine Ecclesiæ pro excommunicato offerre concessum non sit, quia communibus Ecclesiæ suffragijs privatus est, ex privata tamen & propria intentione non prohibetur Sacerdos in *memento* pro excommunicato orare.

sicut

sicut docet Sylvest. in verbo excommunicatio. §. I. num. 2.

Merè externa communio consistit in communione fori judicialis, ut excommunicatus nequeat esse Judex, Notarius, Advocatus, testis, vel actor (reus tamen esse potest ne ex delicto commodum reportet, & se excipiendo vel appellando defendere, quod juris naturalis est) *c. qui ad probandum. 24. de sent. & re jud. c. veniens de test. c. decernimus. de sent. excom. in 6.* & alio externo fidelium commercio, colloquio & convictu.

Et quidem olim omnes indifferenter excommunicati vitandi erant, si publici, publicè ab omnibus, si occulti, privatim ab ijs, quibus censura nota erat. *c. cum non ab homine. de sent. excom. adeò, ut communicans cum excommunicato majorem etiam excommunicationem incurreret. c. excommunicatos. & seqq. II. q. 3.*

Verùm posterioribus juribus & temporibus aliquid immutatum fuit, I. in *c. nuper. 29. & c. si concubina. 55. de sent. excommun.* ut tantùm illi incurrant majorem excommunicationem, qui communicant cum excommunicato in crimine, propter quod censurâ affectus est, præbendo ei consilium, auxilium & favorem, in alijs verò negotijs & colloquijs *minor* solùm excommunicatio contrahatur.

II. In Concilio Constantiensi circa annum 1434. facta est quædam constitutio, postea à Martino V. edita (unde & extravag. Martini V. appel-

appellatur) & à Leone X. in Concil. Lat. confirmata, quæ incipit *ad evitanda scandala*, ubi prohibitio communicandi cum excommunicatis ex parte fidelium innocentium generaliter sublata est, ita ut etiam exercitium cujuslibet jurisdictionis penes excommunicatum pro favore fidelium remaneat. Excipiuntur autem in hac Constant. Concilio 2. Casus. 1. Si excommunicatus publicè fuerit à suo ordinario Judice Ecclesiastico denunciatus & proclamatus. 2. Si quis ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum excommunicationem Canonis notoriè incurrerit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari & nullo juris suffragio excusari possit.

Ipsis quoque censuratis in hoc Concilio directè nulla gratia facta est, neque se utrò & non requisiti communioni fidelium ingerere possunt, quia major est prohibitio ne excommunicati communicent cum fidelibus, quàm vice versa. *c. illud. circa fin. de Cler. excom.* & fideles innocentes non debent facilè alterius odio prægravari, unde & fideles extra crimen & sine contemptu communicantes cum excommunicatis tantum venialiter peccare communior est sententia, nisi inde excommunicatus contumaciôr reddatur. Præterea etiam in dictis casibus, ubi vitandus est excommunicatus, sunt quædam causæ, ex quibus communicatio permittitur, quas Gloss. in cap. *cùm desideres. 15. de sent. excom.* & Sylv. v. *excommunicatio. §. 5. n. 2.* hoc versiculo comprehendit.

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse. Ita-

Iraque I. propter *utilitatem* propriam potest aliquis communicare cum excommunicato, *c. si vere. 34. de sent. excom.* dummodò utilitas sit notabilis, ne prætextu cujuslibet utilitatis eludatur omnis prohibitio communionis & commerciorum cum excommunicato. Ipsius quoque excommunicati utilitas spiritualis admittitur, ut si quis illi in his, quæ ad salutem animæ pertinent vel absolutionem ejus, colloquatur, quamvis incidenter etiam aliqua extranea admisceat. *cap. cum volantate. § 4. de sent. excom.*

II. *Lex conjugal*is permittit ut conjuges sibi invicem communicare possint non obstante alterius censura, *c. quoniam multos. 19. q. 3. § c. inter alia. de sent. excom.*

III. *Humilitas subjectionis* quam habent liberi erga parentes, servi erga dominos, Religiosi vel Clerici erga Prælatum, justa est causa communionis, *d. c. quoniam multos. junct. c. inter alia.*

IV. Excusat ignorantia censuræ vel prohibitionis communicandi, quæ non est valde crassa aut affectata.

V. *Necessitas*, si quis alimenta petere debeat ab excommunicato, vel ex alia causa necessaria ejus colloquium vel confortium declinare nequeat. *Mixta* demùm sive *partim externa partim interna* communicatio est, quæ in exterioribus actionibus vel ceremonijs consistens interiorem ac spirituales fructum ex propria institutione continet. quo spectat administratio & perceptio Sacramentorum, divina Ecclesiæ officia & suffragia, indulgentiæ &c.

Hæc

Hac ergò communione *mixta* privatur excommunicatus, ut imprimis Sacramenta suscipere vel administrare sine peccato mortali non possit, valent tamen suscepta vel administrata excepto Sacramento pœnitentiæ, quod ob censuram excommunicationis non præmissa absolutione invalidum redditur. Nam respectu suscipientis quoad hoc Sacramentum est indispositio, quia non potest priùs à peccatis, quàm à censura absolvi, respectu autem administrantis est defectus jurisdictionis, quæ eidem per censuram aufertur.

Deinde excommunicatus privatur communibus Ecclesiæ suffragijs & indulgentijs ut pro eo publicè orare vel sacrificare non liceat. Imò dum missæ sacrificium aliâque divina officia in Ecclesia celebrantur, excommunicatus interesse non debet, & si monitus non discesserit, nova excommunicatione reservata afficitur, *Clem. gravis de sent. excom.* potestque operâ aliorum fidelium de Ecclesia violenter expelli, *arg. c. veniens. de sent. excom.* si nolit exire, aut expelli nequeat, tenentur alij ab eo discedere, & Sacerdos, qui necdum Canonem missæ incepit, divinum officium intermittere, quia cum excommunicatio in oratione communicare prohibitum est, *c. nuper. c. responso. de sent. excom.* quod semper intellige de excommunicatis post Concilium Constant. vitandis. Conciones audire, & privatim in Ecclesia orare, quando non celebrantur divina officia, nec alij fideles conveniunt ad

com.

communem orationem non prohibetur excommunicatus. *d. c. responso.* Cæterum sæped. Extrav. Martini V. *ad evitanda.* etiam prodest eatenus circa istam mixtam communionem, ut Parochus vel Minister Sacramentorum excommunicatus, nisi fuerit denunciatus aut notorius percussor Clerici, possit requisitus (ante requisitionem non debet se ultrò ingerere, quia ipsi directè gratia facta non est) & contritus Sacramenta & divina ministrare. Idque fieri posse citra casum necessitatis, licèt alius æquè faciliter ministraret, docet Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 9. n. 7.* sed quia negari non potest, esse indecentiam satis notabilem, & aperiri viam ad contemptum censurarum, si is qui scit excommunicatus sine omni necessitate ad cujuslibet requisitionem divina peragat, ideò si excommunicatio notoria foret, vel saltem facilè populo innotesceret, non putarem Clericum excommunicatum ad divina admittendum, si alius æquè idoneus haberi posset. *vid. Suar. de cens. disp. 11. sect. 4. n. 10.* de facto tamen celebrantem vel ministrantem Sacra ab irregularitate ob auctoritatem Sanchezij excusarem. Etenim ad præcavendum peccatum tutior quidem sententia ab initio præferenda est, post actum verò patratum ad minuendam pœnam favorabilior sententia nonnunquam recipienda, teste Covar. *in princ. relect. Clem. si furiosus. de homicid. n. 9.*

MAN. PAROCH.

Q

Casus

Casus Episcopales.

Utrum de jure aliqui casus sint Episcopo reservati, dubitant DD. nam in *c. si Episcopus de pœnit. in 6. Extravag. super Cathedram. de sepult. Extravag. inter cunctas. vers. observent. de privil.* non simpliciter statuuntur casus de jure reservati, sed potiùs confirmatur consuetudo, vel constitutio Episcopalis, ex qua peccata aliqua graviora ipsi Episcopo reservantur. Ideò communior tenet sententia est, *Casus Episcopales* non esse in jure determinatos, sed ex usu & consuetudine locorum desumendos. *Barb. de offic. Epif. p. 3. alleg. 51. n. 3. Palao. de Sacram. Pœnit. tract. 23. diss. un. punct. 15. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 4.*

Interim tamen negari non potest I. Quin ob difficultatem *Casus Papalis* aliquando fiat *Episcopalis*. prout à censura *Canonis* ex percussione Clerici contracta Episcopus absolvit mulieres, impuberes, Religiosum percutientem Clericum sæcularem, aliòve impedimento aut morbo detentos, quò minùs ad Papam vel Legatum ejus accedere possint. *c. mulieres. c. moniales. d. c. cætero. c. ea noscitur. c. quamvis. c. ult. de sent. excom. c. Religioso. c. eos qui. Eod. in 6.*

II. Reservatur Episcopo de jure percussio Clerici levis. *c. pervenit. de sent. excom.* Est autem hîc advertendum, quòd *percussio* quadrupliciter dividi solet. Prima est *levissima & venialis*, quæ non habet censuram. Secunda est

mor.

mortalis, sed comparatione aliarum *levis*. Tertia est *gravis* sed mediocris, à qua Episcopus tantum absolvit Clericos simul viventes, vel Religiosos percutientes Clericos, *c. quoniam. de vita & honest. Cler. & d. c. Religioso*. Quarta *gravissima* sive *enormis*, quæ regulariter habet censuram Papæ reservatam. quam autem in singulis factis percussio *levis*, *mediocris*, vel *enormis* dicatur, relinquitur arbitrio Episcopi, qui circumstantias facti scilicet læsionem, locum, tempus, modum, personam tam læsi quam lædenti diligenter considerabit, ita tamen ut in dubio potius judicet, percussionem esse gravem, & ab ea se absolvere non posse, quam ut declarando levem occasionem præbeat lædendi statum Ecclesiasticum. Sicut habetur in quadam Extravag. quam in terminis refert. Navar. *in Man. c. 21. n. 92.* & Molina. *tom. 2. tract. 3. disp. 59. n. 1.* communiter verò *levem* (cujus absolutio Episcopo vel ab eo privilegium habenti competat) percussionem censent, quæ nullam maculam, aut lacerationem carnis, nec membri mutilationem, dentium evulsionem, multorum capillorum extractionem, aut sanguinis immo- dicam effusionem attulit, neque ex circumstantijs loci vel personæ percussæ aggravata est. *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 10.*

III. In Concil. Trid. *sess. 24. de ref. c. 6.* conceditur Episcopis, ut in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio

voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Papa reservatis per se aut Vicarium cum speciali mandato absolvere possint. & casum occultum ex magis communi sententia dici, qui non est notorius apud plerosque, etiam si possit probari per aliquos testes, & qui valeat aliqua tergiversatione celari, tradit Barb. ad d. cap. 6. Trid. n. 26. cum plurimis ibid. citatis.

IV. Ex eod. cap. 6. Trid. absolutio ab hæresi occulta Episcopis datur. & licet non pauci DD. existiment hanc potestatem esse Episcopis per processum Bullæ Cane ademptam, alij tamen apud Barb. d. l. n. 152. v. contra. valdè probabiliter contrarium sustinent, quia Bulla est generalis de hæresis reservatione, hoc verò Concilij decretum speciale, de hæresi occulta, in omni autem jure generi per speciem derogatur, & non censetur plus de jure veteri correctum, quàm expressum. Dicitur autem hoc loco hæresis occulta non quæ purè mentalis & reservata non est, sed quæ verbo vel opere externo manifestata quidem, adhuc tamen ad multorum notitiam non pervenit.

Cæterum quoad casus, quos Episcopi specialiter pro suo arbitrio & discretionem solent sibi reservare, passim notant DD. quòd illi non debeant esse valdè multi, quia experientia docet, homines difficulter persuaderi posse, ut Episcopum pro absolutione accedant, interim gravantur conscientia, & periculum est, ne labantur in deteriora.

Dein

DE CASIBUS RESERVATIS. 245

Deinde ut casus censeatur reservatus, debet actus fuisse opere externo completus & consummatus, & quidem cum tali deliberatione & circumstantia; ut peccatum mortale constituat, atque in illa qualitate peccati, sub qua reservatus est. v. g. reservatur in castus, non sufficit copula attentata vel imperfecta, aut quæ fuit habita cum consanguinea ex ignorantia consanguinitatis.

Non tamen putarem requiri, quod pœnitens sciverit reservationem, sicut ad puniendum delictum non requiritur, quod delinquens præsciverit pœnam vel ad cuius iudicis tribunal trahendus sit. Licet in casibus *Papalibus* speciale possit esse propter censuram annexam, quæ requirit contumaciam & saltem interpretativum contemptum censurarum, ut sine prænotitia ipsius censuræ casus *Papalis* non committatur. Sed si quis nosset censuram, ignoraret autem esse *reservatam*, non videretur mihi à casu *Papali* excusandus.

Demum reservatio casuum tanquam pœnalis est strictæ interpretationis. *vulg. c. odia. de R. l. in 6. l. penult. ff. de pœnis.* ideoque in propriissimis terminis accipienda, nec extendenda ad casus similes vel etiam maiores expressis. e. gr. reservatus est in castus in primo gradu *affinitatis*: intelligenda est *de vera affinitate* orta ex copula completa, non de *quasi affinitate* orta ex *publica honestate* scilicet ex sponsalibus de futuro, vel matrimonio rato. Reservatur *procratio abortus*,

246 PARS III. CAPUT II. §. II:
intelligitur de fœtu animato (in masculo dicitur
fœtus animatus post 40. dies à conceptione, in
fœmina post 80 Barb. ad. Decret. Grat. dist. 5.
n. 2.) in dubio præsertim quando non satis con-
stat de conceptione, non est casus reservatus,
Palao d. pun. 15. §. 2. n. 12. Reservatur procura-
tio sterilitatis, intelligi potest de perpetua sterili-
tate, non de una vel altera conceptione impedi-
ta Reservata est defraudatio decimarum, non
comprehendetur alia defraudatio Parochi,
quamvis gravior &c quo etiam faciunt ea, quæ
tradit Harp. ad tit. instit. de exhæred. lib. §. fin.
n. 66. quòd nimirum liberi ex alijs causis simili-
bus vel majoribus quàm in jure expressis ne-
queant exhæredari. nec est rarum, quòd ali-
quando delictum ob frequentiam gravius casti-
gari solet, quàm aliud quod in suo genere est
majus. L. 1. ff. de abigeis. v. g. furtum, quàm
mutilatio membri, &c. præsertim confessiona-
lia redderentur plena scrupulis, si casus reservati
ad similes vel majores extendendi forent.

§. III.

De Indulgentijs.

SUMMARIA.

1. Indulgentia quid?
2. Indulgentia est ex meritis Christi.
3. Satisfactio pro peccatis debita.
4. Indulgentia quotuplices.
5. Indulgentia de pœnitentijs injunctis intelliguntur etiam de injungendis.

6. Qui